



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

3. Finis solius delectationis in conjugatis, ne quidem veniale peccatum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

posterioribus tale desiderium quoque excusari poterit, cum fiat ob bonum, quod optans sibi sperat, sive illud sint divitiæ, sive pulchritudo in futuro matrimonio fruenda, sive aliud quid. Sed his futilibus ratiunculis ad quartum Decalogi præceptum ex SS. Patrum autoritatibus sat responsum est, maximè ex illo *S. Augustini: Illo vivo, quem vis mori te homicidam tenet Deus in corde, & altero notissimo Christi Domini, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est in corde suo.*

Jam allegatis autoribus succedunt illi qui audent & dicunt.

PROPOSITIO III.

Finis solius delectationis in conjugatis, ne quidem veniale peccatum est.

PAr enim ratio apud illos est pulchrum prospectare campum, fragrantem rosam odoratui ob voluptatem admovere, suavi melodiæ liberare aures dare, ac uxorem solius delectationis causa cognoscere; Sed re-
clama

clamat his sacra scriptura, reclamant ipsi
 met instituti matrimonij finis, reclamant de-
 nique *S. Augustinus*, & alij *SS. Patres*: ambo
 priora *S. Augustinus* lib. de bono conjugali
 cap. 6. Sub compendio proponit his verbis:
conjugalis concubitus, ait: generandi gratia
 non habet culpam, concupiscentia vero satian-
 de, sed tamen cum conjugate propter fidem tho-
 ri, venialem habet culpam: & cap. 7. reddere ait
 debitum conjugale nullius est criminis, exige-
 re autem ultra generandi necessitatem, culpa
 venialis. Et cap. 10. certè ait: jam dubitare fas
 non est; nuptias non esse peccatum. Non itaq;
 nuptias secundum veniam concedit *Apostolus*:
 nam quis ambigit absurdissimè dici non eos
 peccasse, quibus venia datur? sed illum concu-
 bitum secundum veniam concedit, qui fit per
 incontinentiam, non solà causà procreandi, sed
 etiam aliquando nullà causà procreandi,
 quem nuptia non fieri cogunt, sed ignoscim-
 petrant: Si non sit nimius, ut impediatur quæse-
 posita esse debent tempora orandi: nec immu-
 tetur in eum usum qui est contra naturam,
 concubitus enim necessarius causa generandi
 inculpabilis, & solus ille nuptialis est: ille autem

qui ultra necessitatem istam progreditur, jam non rationi sed libidini obsequitur.

6. Et tandem *serm. 63.* *Ceterum inquit,* qui uxoris carnem amplius appetit quam prescribit limes ipse liberorum procreandorum causa, contra ipsas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Nisi ad hoc dentur ad hoc accipiantur uxores, quis sanâ fronte det filiam suam libidini aliena? sed ut non erubescant parentes cum dant recitantur tabula: ut sint socii non lenones. Quid ergo recitatur de tabulis? liberorum procreandorum causâ. Consentit *Isidorus lib. 2. sent. cap. 40.* ubi ait, quosdam conjugale decus non pro gignendis filiis delectat. sed hoc pro turbulenta carnis & libidinosâ consuetudine appetunt. Et *lib. de offic. Eccles. cap. 19.* *Illæ sunt certe nuptiæ inquit: quæ in conjugio non libidinem, sed prolem requirunt,* neque enim sic institutæ sunt, ut carnis voluptatibus seruiant: sed tantum ut, fructum propagationis querant. Nam & ipsæ tabule dotales indicant, quod causa procreandorum liberorum ducitur uxor: quando ergo quisq; luxuriose amplius vivit, quam necessitas procreandorum liberorum cogit: jam peccatum est: Imò
hæc

hæc est communis SS. Patrum sententia, ita enim sentiunt Cyril. Hierosol. catech. 4. *in corpore*. Chrysof. hom. 22. *in Genesim*. Isidorus Pelus. lib. 3. Ep. 46. Basilus de verâ virginitate. Cyrillus Alexand. lib. 15. *in adorat. de spirit. & veritate*. Gregorius lib. 12. Registr. Epist. 11. ad. 10. interrogat. Clemens Alexandrinus lib. 2. *pædagog. cap. 10.* ubi ait: *ne semina, ubi non vis tibi nasci, quod seminatum est, neque ullam omnino tange fœminam, præter tuam ipsius uxorem, ex quâ solâ tibi licet carnis voluptates percipere propter legitimam successionem: hæc enim sola rationi sunt legitima.* Et innumeralij tam Patres, quam Scholastici, ut Henricus Riquet, merito eam antonomasticè vocant Patrum sententiam.

Prioris assertionis invectoribus, longe graviùs illi alliserunt, qui adulterium non esse, quando compars in copulam cum tertio consentit, & juri suo, vel quasi renunciat asseverare sunt ausi: sit proinde.

PROPOSITIO IV.

Copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium.